

voluptuosos sumptus inter bonæ fidei, et malæ fidei possessorem: ille videlicet impensas retinere potest doli mali exceptione, vel officio iudicis, eo quia res pretiosior facta sit, l. 39. n. 1. ff. de *heredit. petit.* Ant. Fabr. loc. cit. num. 34. (109. Possessor vero malæ fidei easdem nullo potest modo detrudere, eique tantum conceditur facultas ipsas tollendi, dummodo id fieri possit sine fundi detrimento; quinimmo dominus pati debet, ut eas tollat, dummodo tamen possessoris commodo cedat, secus non, d. l. 39. et l. 9. ff. de *impens. in res dot. fact.* Cujac. observ. lib. 10. c. 1. Ant. Fabr. loco cit. numer. 19. et 34. (110. In voluptuosis impensis hoc demum notandum est, quod factæ in re promercali desinunt tales esse, sed reputantur tamquam utiles leg. 10. ff. de *impens. in res dot. fact.* ibique Bruneman.

(111. Hac de re inopportuna non erit regulam tradere, quæ in repetendis, vel restituendis impensis servari debet: Regula quippe generalis est, ut refici debeat quod minus est inter impensum, et melioratum, quod tamen intelligendum putant de possessore bonæ fidei, qui dum impendit, erat dominus revocabilis vel directus, vel utilis. l. 38. ff. de *rei vindicat.* Menoch. de Arbit. caus. 258. num. 55. et 56. Card. de Luc. de leg. disc. 35. n. 29. Bonfin. de Jur. fideicom. disput. 146. num. 53. Ant. Fabr. in rat. ad l. 38. Mangil. de evict. quæst. 153. num. 25. Rot. in recent. part. 19. tom. 2. dec. 455. num. 1. (112. Id vero dicitur minus inter impensum et melioratum, ut si quis impenderit 100, et melioratum sit 150, solum 100 restituendum est. Quod si centum impensum fuerit, sed melioratum sit 50, solum quinquaginta restituendum erit, cum dominus quoad 50 solum ex aliena jactura lucrum sentiat. Quamobrem in primo casu restituendum erit quod ab initio impensum fuit; secundo vero casu inspiciendum erit, quanti res restitutionis tempore valet.

Jura superius allegata limitant præfatam regulam primo ut in prædiis tantum rusticis locum habeat, veluti si plantatæ sint arbores. Hoc casu valoris incrementum cedere debet commodo domini directi, vel illius, cui restituitur fideicommissum. Hujusmodi enim incrementum non minus ab industria meliorantis, quam ab ipso solo ad dominum spectante provenit. Mangil. loco cit. n. 22. (113. In ædificiis autem urbanis aliud dicendum tradunt, sed inspiciendum restitutionis tempus pro reficiendis melioramentis. Hoc quippe casu incrementum valoris magis ab impensis, quam a fundo provenit, cum plerumque creverit valor ad mensuram expensarum. Mangil. loco cit. n. 20. Rot. dict. dec. 455. num. 2. Bonfin. ubi supr. num. 54. (114. Priore itaque casu inspiciendum erit tempus facti melioramenti, posteriore vero tempus restitutionis, de quibus tamen vide Menoch. de Recuperan. posses. rem. 15. n. 557. et seq. Peregrin. de Fideicom. artic. 50. n. 73. et sequ. Mangil. de evict. quæst. 153. num. 17. seq. Fulgin. de jur. emphyt. tit. de melior. Quæstion. 7. Pontiro. apud Sabell.

allegat. l. 2. cap. 1. n. 501. seq. Angel. de Melioramen. Garz. de Expens. et melioram. Gilken. de Expens. Guadagn. Institut. jur. civil. lib. 2. tit. 1. in not. ad § 187. num. 4.

(115. Secunda limitatio versatur circa impensas necessarias, quas integras restituendas esse primo definivit Rot. in recent. part. 18. tom. 2. dec. 537. num. 11. confirmata post Paulut. dissert. 34. Sed postea in eadem causa eadem Rota definivit etiam in necessariis melioramentis reficiendum quod minus est inter impensum et melioratum, Paulut. dissert. 45. n. 97, quamvis multo post aliam adhibeat distinctionem inter impensas utiles, et necessarias dec. 65. num. 2. post. Cardin. de Luc. de Testament. lib. 6. Cum enim præ oculis haberi in primis oporteat quid esset ipse dominus factorum, cumque nequeat præsumi, quod necessarias non esset factorum impensas, ideoque ab ipso melioranti præstanda esse videntur. D. Mævias dec. 187. de his tamen vide Cels. et Bruneman. in leg. 38. ff. de *rei vindicat.* Cujac. in comment. ad l. sin. autem § *In rem ff. eod.* Noodt. in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *huc usque.*

(116. Observandum postremo et discrimen inter possessorem simplicem bonæ fidei, et possessorem ratione domini licet resolubilis. Ille tenetur compensare fructus etiam ante litem contestatam perceptos, nec competit retentio, nisi reddita ratione fructuum, leg. 48. et leg. 65. ff. de *rei vindicat.* Ant. Fabr. de Error. pragmat. decad. 26. error. 8. num. 6. Voet. in Pand. lib. 6. tit. 1. n. 39. Possessor vero ratione domini etiam resolubilis fructus perceptos cum impensis non tenetur compensare, Bruneman. in Pandect. lib. 6. tit. 1. l. 48. n. 8. Fusar. de substit. Quæst. 669. n. 2. Mangil. de evict. qu. 153. num. 3. seq. Pontiro. penes Sabell. allegat. tom. 2. cap. 1. n. 474.

(117. Quid vero si ædificator, vel meliorator fundum ædificatum, vel melioratum non possideat, et hic ex juris rigore nullam competere actionem contra dominum fundi tenent Donell. Comment. jur. civ. lib. 4. cap. 33. § *hæc de ea.* Noodt. in Pandect. lib. 6. tit. 1. § *satis ut opinor.* Vin. comment. in Institut. lib. 2. tit. 1. § 30. numer. 4. Ex æquitate tamen eidem vel actio negotiorum gestorum, vel actio in factum, vel alia actio conceditur; de quibus diversis actionibus videndi Vin. l. c. Honnius lib. 2. var. resolut. tract. 1. q. 26. Amat. resol. 14. n. 55. et plur. seq. Pontiro. l. c. n. 471. Mognat. de retent. qu. 188. Cujac. Comment. in leg. 27. § 5. ff. de *rei vindicat.* et observat. lib. 10. cap. 4.

(118. Fructuum perceptio hoc loco est acquirendi domini modus, quo is, qui rem alienam bona fide non interrupta, et justo titulo possidet, fructus, percipiendi, suos facit. Cujac. in Comment. ad l. 109. ff. de *verb. Signific.* et ad l. 1. C. de *acquir. et retin. posses.* (119. Nomine vero fructuum venit omnis redditus, omnis obventio, omne commodum, quod vel ex re nascitur, vel rei occasione percipitur, deductis semper im-

pensis ad eosdem colligendos fructus necessariis. Cujac. observat. lib. 11. c. 39. Petr. Perrenon. Animad. et variat. lect. lib. 1. c. 5. in l. 48. ff. de *acquir. rer. dom.* apud Everard. Oth. Thes. jur. tom. 1. coll. 597. (120. Fructus vel sunt *naturales*, vel *civiles* l. 62. ff. de *rei vindicat.* l. 9. prin. ff. de *usus*. l. 121. ff. de *verb. Signific.* (121. Fructus naturales in *mere naturales* dividuntur, et *industriales*. (122. Mere naturales proprie sunt ii, quos sponte sua nullaque concurrente hominis industria terra producit. l. 45. ff. de *usus*. l. 31. ff. de *V. S.* (123. *Industriales* vero, qui potius ab hominis industria, et cultura proveniunt, quam ex ipso solo, leg. 78. ff. de *rei vindicat.* l. 45. ff. de *usus*. Card. de Luc. de *Dot.* disc. 168. n. 27. et seq. (124. Civiles vero appellantur ii, qui non ex re, sed occasione rei percipiuntur, ut sunt pensiones prædiorum, mercedes et vecturæ navium, et jumentorum, et similia, qui proprie fructus non sunt. l. 121. ff. de *V. S.* l. 62. pr. ff. de *rei vindic.* vicem tamen fructuum obinent, et inter fructus numerantur. leg. 19. leg. 34. leg. 36. ff. de *usus*. leg. 29. ff. de *hered. petit.* leg. 83. pr. ff. de *legat.* 3. De fructibus industrialibus vide Donell. Comment. jur. civ. l. 4. cap. 25. Menoch. de Arb. cas. 210. n. 20. et 26. et de recuper. posses. rem. 15. n. 578. et 593.

(125. Fructus insuper *naturales* alii *pendentes* seu *extantes* sunt, qui a solo, vel re nondum sunt separati. l. 44. ff. de *rei vindicat.* l. ult. § 4 et 6. ff. *quæ in fraud. eredit.* Alii *percepti*, qui a solo separati sunt l. 78. ff. de *rei vindicat.* l. 13. ff. *quibus modis ususfr. amit.* Alii *percipiendi*, quos nempe diligentissimus paterfamilias vel petitor rei percipere potuisset, sed non fuerunt percepti, vel quod antequam colligerentur perierint, vel quod nunquam extiterint. Voet. in Pand. lib. 4. tit. 1. n. 28. Gallus de Fruct. disp. 2. art. 6. n. 15 et 18. Vin. Institut. lib. 2. tit. 1. § 35. in fin. Percepti alii sunt extantes, alii sunt consumpti l. 22. § 2. ff. de *pignorat. act.* leg. 40. ff. de *acquir. rer. dom.* l. 3. C. de *condict. ex leg.*

(126. Bonæ fidei possessor naturales et industriales fructus percipiendi suos facit. Ant. Fabr. Conject. lib. 4. c. 17. Fachin. Controv. lib. 1. cap. 57. Vinn. Select. quæst. l. 1. cap. 24 et ad § 35. instit. lib. 2. tit. 1. n. 7. et seq. ibid. Harpr. n. 35. et seq. Nood. Probabil. l. 2. c. 7. et in Pandect. l. 6. tit. 1. § videamus igitur. (127. *Pendentes* vero, et *extantes* sive naturales, sive industriales sint, supervenienti Domino cogitur restituere, non vero consumptos, vel usucaptos. Vin. Select. quæst. l. 1. c. 26. et Comm. in d. § 35. instit. n. 9. Puffendorf. de jur. natur. et gent. l. 4. c. 13. § 8. Voet. in Pandect. l. 41. tit. 1. n. 29. exceptis tamen sumptibus necessariis et utilibus in rem factis; Gothof. in l. 48. ff. de *rei vindicat.* addit. ad Vincen. de Franch. dec. 31. Gallus de Fruct. disput. 13. n. 8. et seq. Quod si per triennium possederit, licet existant, nec imputandi sint in sumptibus, tamen possessor jure eos retinet, cum

usuceperit. Noodt. lib. 6. Pandect. tit. 1. § *Igitur ut faciamus.*

Hactenus de bonæ fidei possessore cum justo titulo; quid vero de possessore sine justo titulo? Hic naturales fructus suos non facit, sed tantum industriales. l. 45. ff. de *usus*. l. 15. § 1. l. 17. prin. ff. de *donat. inter vir. et uxor.* (128. Hic utilis excitari posset quæstio an bonæ fidei possessor debeat restituere fructus consumptos, sive eorum æstimationem, ex quibus factus sit locupletior; sed ne hunc articulum in ævum protrahamus, super hac unusquisque consulere poterit Ant. Fabr. in rat. ad l. 23. § 11. et ad l. 36. § 4. ff. de *hered. petit.* Bynhers. Observat. l. 8. c. 12. Menoch. de recuper. poss. remed. 15. n. 586, 598 et seq. et de Præsumpt. lib. 6. præ. 27. n. 6. Fachin. Controv. l. 2. c. 46. l. 1. c. 58. Gallus de Fruct. disp. 12. art. 1. num. 36 et 37. Vin. Select. quæst. l. 1. c. 26. Harpp. Institut. l. 2. tit. 1. § 35. n. 66 et seqq. Voet. in Pandect. l. 41. tit. 1. num. 29. Fagnan. in cap. gravis. n. 57. ad 60. de restit. Spol. Peregrin. de Fidei comm. art. 49. n. 114 et 115. Barbos. in l. 8. prin. part. 2. n. 48. ff. *solut. matrim.* Vincent. de Franch. dec. 31. n. Car. Ant. de Luca obs. ad d. dec. 31. n. 2. Rot. cor. Merlin. dec. 663. n. 50.

(129. Non ita dicendum de malæ fidei possessore, qui nullos aut percipiendi, aut consumendo fructus suos facit, sed extantes restituere, et consumptorum justam æstimationem præstare tenetur instit. de *rer. divis.* l. 2. t. 1. § 35. *vers. ei vero qui l. 22. C. De rei vindicat.* Quod adeo verum est, ut licet ab initio bona fide possideret, si tamen tractu temporis mala fides supervenerit, ex eo tempore desinit suos facere fructus, quin imo si tempore bonæ fidei perciperit fructus, tempore vero malæ fidei eosdem consumpsit, ad eorumdem restitutionem, vel æstimationem tenetur, l. 23. § 1. l. 48. § 1. ff. de *acquir. rer. dom.* Guadagn. Institut. jur. civ. lib. 2. tit. 1. § 132 in fin. Plura de bonæ fidei, et malæ fidei possessoribus dicenda superessent, sed hæc commodius afferri poterunt articulo sequenti de *possessoribus*, et interea huic articulo finem imponemus, in quo ob necessitatem, et multiplicitatem rerum plus æquo immorati sumus, et si quis plura desiderat, consulat Doctores hactenus allegatos, præcipue Noodt. Probabil. lib. 1.

ARTICULUS IV.

Ex editione Barbielliniana.

Dominium quoad reservationem, et reservationis effectus.

(1. Antequam domini argumentum exsolvamur, non abs re erit nonnulla de ipsius reservationis effectu brevissime delibare, super quo tot tantæque quotidie in foro excitantur quæstiones. Pactum reservationis domini tum a proprie dominis, tum ab improprie dominis potest utiliter iniri. A proprie dominis dominium reservatur, ubi quis vendit prædium, domum, vel aliud simile

sibi que super re vendita reservat dominium, quousque pretium sit integre persolutum. Ab improprie dominis vero, ubi quis mutuatur pro re emenda, vel credit in refectione domus, aut navis, vel pro instructione tabernæ. Hæc dominii reservatio vel tacita est, quæ a solo juris ministerio inducitur, vel expressa, quæ a partium conventionem profluit. Hujus reservationis capaces sunt non modo res immobiles, sed etiam mobiles, et removens, dummodo universitatem constituent, et uti corpus universale considerentur, veluti grex, prout infra.

(2. His ita præmissis præcipuus reservationis dominii effectus ille est, ut in creditorum concursu omnibus super re debitoris præferatur reservatarius, nulla facta distinctione inter privilegiatos, et non privilegiatos; inter anteriores, et posteriores. Constantin. ad Statut. Urb. annot. 30, art. 1, n. 5 et 6. Zanchi de prælat. Exercit. 1, § 1, n. 1. Rot. in recent. part. 13, dec. 284, num. 1. (3. Quin immo licet cum dote concurrat, tamen doti præferendus semper est reservatarius dominii, cum super bonis viri postea quæsitis mulier pro dote generalem non particularem acquirat hypothecam. Rota coram Lancett. dec. 1188, n. 16, et plur. seq. coram Haunitz. dec. 231, n. 1 et seq.

(4. Respectu proprie domini res certe expedita est, at aliquam invalere videtur contradictionem quoad imperfecte dominium, ut dum quis mutuans ad rem emendam dominium sibi super eadem re reservat. Reservatio quippe præexistens jura supponit, cum quis nequeat sibi reservare, quod non habet; Rot. coram Molines dec. 1299, num. 8, multoque magis, quia in data hypothese super re emenda neque mutuans, neque mutuarius aliquod jus habent. (5. His tamen non obstantibus, placuit Doctoribus, ut etiam hoc casu mutuanti concederetur beneficium reservationis dominii, ex conventionem tamen, non ex lege, cujus præsidio posset omnibus creditoribus respectu illius rei præferri. Ansal. de Commerc. et mercat. disc. 84, num. 5 et seq. Zanch. de prælat. Cred. exercit. 1, § 2, num. 32. Rot. in Romana reportationis Pecuniarum 21. Martii 1757. Verum coram Olivatio.

(6. Verum arbitratur nonnulli expressam dominii reservationem in mutuante ad rem emendam necessariam non esse, ut mutuans aliis creditoribus præferatur, hac tamen adhibita distinctione inter creditores simplices generalem habentes hypothecam, et creditores particularem habentes super re empta ex pecuniis mutuatis hypothecam. Primo casu expressam non requiri dominii reservationem communiter tenent exemplo mutuantis pro refectione domus, vel navis, secus vero in secundo casu, Zanch. loco cit. num. 33, 34 et 35, et in laudata Romana Reportationis pecuniarum § Nec reponere, et § Idque sane.

(7. Hactenus de mutuante in concursu cum creditoribus in genere. Quid vero si concurrat cum ipso domino rei venditæ, qui sibi dominium non reservaverit? In hoc regula

generalis est, ut semper venditori præferatur reservatarius dominii, nec alia venditori conceditur actio præter personalem. Gait. de Credit. par. 4, quæst. 11, n. 1222. Salgad. Labyrinth. cred. part. 1, cap. 11, num. 78 et 79. Communiter tamen Doctores distinguunt inter mutuantes ad rem emendam in genere, vel reficiendam, vel conservandam, et mutuantes ad reficiendas ædes. (8. Secundo casu mutuanti jus pignoris ex dispositione juris competit super refecto ædificio, adeo ut seclusa etiam quacumque reservatione, ei nequit denegari prælatio; leg. 1. ff. in quibus caus. pign. tacit. contrahit. Corvin. in Cod. lib. 8. tit. 15. pag. 628. coll. 1. § Senatuconsulto. (9. Quin immo licet inde aliquis in eandem refectam domum emendam nummos credat, nullo gaudet prælationis privilegio, etsi super re emenda expresse sibi dominium, et hypothecam reservaverit, ita contra Bartol. in l. Interdum 5. ff. qui potior. in pignor. habeant. tenet Corvin. loco cit. § Quod adeo verum est.

(10. Non ita vero sentiendum est de mutuante ad rem in genere emendam, vel reficiendam, vel conservandam. Privilegium enim quod ex Senatuconsulto in dicta Leg. allegato competit credenti ad restaurandas ædes, de solis ædificiis loquitur, nec ad alia esse trahendum fuse demonstrat omissis cæteris, Averan. Interpretat. jur. lib. 2. cap. 13. Comment. ad dict. leg. 1. ff. in quibus caus. etc. a n. 1. ad 8. quamvis contrariam sequatur opinionem, Ludovic. Vitalis. variar. lection. lib. 2. cap. 19. penes Everard. Otth. Thesaur. jur. tom. 2. coll. 683. (11. Quapropter juxta primam, communioremque sententiam, nisi sibi mutuans ad rem emendam expresse dominium, et hypothecam reservet, nulla eidem conceditur prælatio; Corvin. in Cod. lib. 8. tit. 19. pag. 636. coll. 2. § hac ratione, Zoes. in Pandect. lib. 42. tit. 6. num. 11. et 12. qui tamen num. 13 (12. tenet expressam dominii reservationem esse necessariam etiam in mutuante pro novo construendo ædificio. Bruneman. in Pandect. lib. 42. tit. 5. in l. 26. et 34. n. 2. et in Cod. lib. 8. tit. 14. in l. 17. per tot. et tit. 18. in l. 7. n. 4. et 5.

(13. Sunt qui præter dominii, et hypothecæ reservationem, requirunt ulterius, ut mutuans ostendat pecunias creditas in causam expressam versas fuisse ad hoc, ut prælationis beneficio perfrui valeat. Bruneman. in Pandect. lib. 4. tit. 25. l. 1. num. 4. Zoes. in Pandect. lib. 14. tit. 1. num. 4. Duaren. Oper. tom. 3. pag. 439. collect. 2. tit. de exercit. act. cap. 2. et pag. 449. princ. coll. 2. tit. de instit. act. c. 2. (14. Neque solam versionem sufficere, nisi versio conjuncta sit cum titulo lucrativo, et locupletationis cum aliena jactura tenet Rot. coram Ottobon. dec. 40. num. 46. et 47. dec. 94. num. 18. coram eodem, sed vide Bruneman. in Pandect. lib. 20. tit. 2. leg. 2. per tot. Hæc tamen intellige in concursu cum habente hypothecam generalem, secus, si hypotheca sit particularis.

(15. Alter effectus reservationis dominii

in eo versatur quod licet pecunia credita per se esset infructifera, jus tamen tribuit creditori ad percipiendas, et repetendas accessiones. Exemplum habemus in Fabro Murario, qui licet pro concessa dilatione solutionis mercedis, et pretii cæmentorum nullos exigere valeat fructus, cum ipsius creditum reputetur adinstar crediti mere pecuniarii, nihilominus si sibi dominium reservet super ædificio refecto, vel noviter constructo, jure fructus convenire, et repetere a Domino ædificii potest, ut oportune distinguit Constantin. Vot. dec. 107. num. 2. et 3. Rot. coram Lancet. dec. 1188. num. 10. coram Herrera dec. 51. n. 11. et dec. 86. per tot. in Romana fructuum 4. Martii 1763. per tot. coram Herrera in Romana Pecuniaria quoad Mandatum A. C. 27. Jun. 1776. cor. Origo per tot. præsertim § 3. quæ plenum super hac quæstione exhibet tractatum.

(16. Tertio reservatio dominii habet vim pacti, manus injectionis cum facultate implorandi remedia possessoria manutentionis, et associationis, efficitque, ut donec solutum sit pretium, venditio non uti talis, sed potius uti simplex locatio reputetur per text. in l. Cum manu sata § fin. ff. de contrahen. empt. « Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur ne ad emptorem transeat, sed hoc est aut locatio, aut aliud genus contractus, » ibique Glos. verb. Genus contractus, quem sequitur Surd. dec. 137. num. 3. Magon. dec. Lucen. 31. num. 9. Rot. Rom. coram Bichio dec. 156, n. 13, in Recent. part. 8, dec. 128, num. 2 et 3, cor. Caprara dec. 12, n. 2, cor. Molin. dec. 1306, num. 2 et 3.

(17. Quarto efficit, ut validum exhibeat argumentum pertinentiæ illius rei, super qua reservatum fuit dominium, favore reservatarii. Quod adeo verum est, ut licet dominium reservatum sit super re aliena, super qua licite quidem, sed sine effectu reservari potest, nihilominus si hujusmodi reservationi præsens sit verus dominus, et ab ea contra reservatarium non reclamet, probat dominium in eundem reservatarium legitime fuisse translatum, remque ad eum pleno jure pertinere, cujus favore constat reservatum fuisse dominium. Rot. in Nuper. to. 9, dec. 201, n. 23, cor. Cerro dec. 152, n. 30, cor. Molines dec. 1253, n. 4 et 5, dec. 1299, n. 4 et 6.

(18. Dubitari potest an reservatio dominii, quæ jus pignoris, et hypothecæ producit, cadere valeat super mobilibus, et removens? Prima fronte videtur negandum. Cum enim reservatio dominii rem ipsam afficiat, et impediatur quominus in alium transferatur, et quatenus id fiat, reservatarius a quocumque possessore eam vindicare potest; rursus cum res mobiles, et removens non illius sint naturæ, quæ ab aliis similibus distingui possint, cumque usu consumantur, et in commercio familiari sint, hinc in dies mutantur, alienantur, et alienatis nova capita subrogantur, hinc reservatario dominii nisi impossibile, difficile saltem redderetur proprium jus exercere.

Demum cum in dies intereant si jus reservatarii super re perempta versabatur, videtur peremptum cum ipsa re jus quoque remansisse. Hoc tamen casu Doctoribus placuit distinctio inter reservationem dominii super animalibus uti singulis, et super animalibus uti gregem componentibus. Primo casu cum natura pignoris, et hypothecæ secum ferat, ut perempta re hypothecata, jus hypothecæ evanescat, ita reservato dominio super animalibus uti singulis cum omnibus peremptis animalibus vel aliquibus tantum, jus reservatarii vel in parte, vel in totum caderet, hinc jura irritam hujusmodi reservationem declarant.

(19. Secus vero dicendum est ubi reservatum fuit dominium super animalibus, mobilibus, peculio non uti singulis, sed uti universitatem conficientibus. Hoc quippe casu licet nonnulla animalia depereant, vel alienentur, deperditis tamen, et alienatis alia subrogantur, adeo ut licet nonnulla capita deficiant, non tamen deficit corpus universale, super quo reservatum fuit dominium. Hinc licet reservatio dominii certam rem afficiat, incerta videantur animalia, mobilia, merces, et similia, nihilominus fictione juris uti certa reputantur, et conservatur jus super corporibus subrogatis. Negusan. de Pignor. mem. 2, num. 18, et seq. Zanch. de Prælat. exercit. 1, § 2, sub n. 227. Voet. in Pandect., lib. 20, tit. 1, numer. 2 et 6. Bruneman. in Pandect., lib. 20, tit. 1, in l. 3, prin. num. 1, et rursus in l. 34, n. 1 et 3, Zoes. in Cod., lib. 8, tit. 15, quæst. 2, Gait. de credit., capit. 4, quæst. 5, n. 168, et seq. Card. de Luc. de Alienation. disc. 1, n. 25, Rot. cor. Ratto lec. 136, n. 3 et 4, coram Rezonie. dec. 131, n. 6.

(20. Hic demum juvat inquirere num Princeps gaudeat prælatione super omnes etiam dominii reservatarios? Princeps duplicem repræsentat personam: Principis, et privati. Uti privatus in contractibus nullo gaudet privilegio, et non minus ipse quam cæteri cives ligatur legibus, et statutis. Rot. coram Molin. dec. 167, n. 7, coram Falconer. tit. de Statut. exclusiv. Fœminar. dec. 11, num. 11, coram Kaunitz dec. 236, num. 27. (21. Dum vero uti Princeps contrahit, et fisci personam gerit, maximis gaudet privilegiis, et generaliter affirmari potest omnibus in concursu præferri creditoribus. Dubium aliquod superest respectu reservatarii dominii. Ex supra firmatis num. 3, constat dominii reservatarium credito Dotis præferri. Porro dotis privilegium æquale est cum privilegio fisci, immo in aliquibus casibus potioribus fruitur privilegiis causa dotis, quam fisci, adeo ut in dubio, pro dote potius, quam pro fisco judicium sit ferendum. Cujac. in paratit. Cod. lib. 8, tit. 17. Peregrin. de jur. fisci lib. 6, tit. 6, num. 33, Mantie. de tacit. et ambig. convent., lib. 11, tit. 26, num. 4, Card. de Luc. de Dote discurs. 166, num. 67. Salgad. in Labyrinth. Credit. part. 2, cap. 4, num. 169, et alii quamplures allegati a Zanch. de prælat. Credit. exercit. 2, § 3, numer. 121, 122.

(22. Huic opinioni obstare videtur text. in l. 34, ff. de reb. auctor. jud. possid. ubi ex-

preste habetur, « quod quis navis fabricandæ, vel emendæ, vel armandæ, vel instruendæ causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat, habet privilegium post fiscum. » Quidquid tamen sit de eo, qui credit in refectione navis, cui expresse præfertur fiscus, in aliis tamen casibus contrarium videtur sentiendum ob rationes supra relatas. Si enim reservatarius domini præfertur doti, et dos præfertur fisco, sequitur

DONATIO.

Vide verb. CONTRACTUS DONATIONIS.

DOS, DOTARE.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Dos quoad variam ejus acceptio- nem, naturam, divisionem, et proprietatem, seu dominium.*

1. Vocis, seu termini Dotis æquivocatio aperitur, ac assignantur acceptiones et usus, ad n. 3. — 4. Assignantur Dotes Animæ beatæ, et quare virtutes Theologicæ non dicantur dotes. — 5. Obiter assignantur Aureolæ Beatorum, ac quid et quot sint; et cur dicantur Aureolæ. — 6. Assignantur Dotes corporis Gloriosi, quidque beatis corporibus præsent. — 7. Dos quid sit juridice, et civiliter capta. — 8. Dos est duplex, Profectitia scilicet, et Adventitia. — 9. Dos Profectitia quæ sit. — 10. Dos Adventitia quæ sit. — 11. Dominium, seu proprietates dotis tradita in re mobili in certo numero, pondere, et mensura pertinet absolute ad maritum. — 12. Sic etiam ad maritum spectat dominium, seu proprietates dotis sive in re mobili, sive immobili, quando ei talis dos tradatur æstimata æstimatione faciente venditionem. — 13. Unde si res æstimata pereant, aut deteriores fiant pereant, aut deteriores fiant ipsi marito, uti earum domino. — 14. Hinc plurimum interest maritis; ut res dotales absque æstimatione recipiant. — 15. Dominium naturale Dotis in re immobili non æstimata, sed præcise taxationis causa, non æstimatione faciente venditionem, pertinet ad uxorem; Civile vero transit ad maritum. — 16. Fundus Dotalis remanet in dominio uxoris, et ad ejus periculum stare dicitur, nunquam transit in verum, et naturale dominium mariti. — 17. Solutio matrimonii, dominium civile ipso jure, et ministerio legis statim transfertur in uxorem, et consolidatur cum naturali. — 18. Fundus Dotalis, seu dos in re immobili non æstimata ita spectat ad verum, et naturale dominium uxoris, ut maritus eam alienare, hypothecare, aut alias obligare non possit. — 19. Immo neque alienari potest cum consensu uxoris. — 20. De Jure tamen Canonico valet alienatio interveniente uxoris juramento de non revocando, seu non contraveniendo. — 21. Ususfructus Dotis etiam rei immobilis, et inæstimatæ pertinet ad maritum. — 22. Si tamen lucrum perceptum ex fundo dotali non pertineat ad fructuum, seu reddituum naturam, et sit sors quædam præcipua, quæ dotem augeat, non pertinet ad maritum. — 23. Dominium, seu proprietates dotis amittitur ab uxore propter ejus adulterium, et transit in maritum; similiter a marito propter ejus adulterium amittitur dominium, seu proprietates donationis, seu donati propter nuptias, nisi inter se reconciliati fuerint. — 24. Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam. — 25. Solutio per mortem mariti matrimonii, filia familias vidua habet plenum jus suæ dotis adventitiæ tam quoad proprietatem, seu dominium, quam quoad usumfructum, privative etiam quoad patrem. — 26. Solutio matrimonii dominium, seu proprietates dotis profectitiæ pertinet ad filiam familias viduam. — 27. Talis autem dotis profectitiæ

necessario, quod etiam fisco præferatur reservatarius domini ex regula, « quod si vinco vincentem te, multo magis vinco te. » Præterea in allato textu nulla fit mentio expressæ reservationis domini, ideoque ad summum dicendum erit, quod nulla existente expressa domini reservatione, credens in refectione navis non præfertur fisco; secus in casu contrario.

ususfructus pertinet ad patrem, ad quem reverti debet, nisi aliud conventum fuerit in constitutione ipsius dotis; et hoc quousque eadem filia secundo nubat dummodo tamen eo tempore alatur a patre. — 28. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietates vero pertinet ad filios. — 29. Quando res in dotem data sit æstimata; et quando inæstimata.

ARTICULUS II. — *Dos quoad illos, qui tenentur eam dare.*

1. Pater tenetur dotem dare filiæ. — 2. Conclusio procedit, etiamsi filia cum patris consensu nubens propria bona adventitia habeat, nisi pater gravi inopia laboret. — 3. Item procedit conclusio, etiamsi pater filiam Matrimonio collocaverit nulla facta mentione dotis. — 4. Eadem ratione si mulier dives non facta expressione, et conventionem dotis ducta sit; tacite censetur ejus bona vel saltem pars honorum pro conditione, et dignitate viri in dotem constituta. — 5. Insuper procedit conclusio etiamsi filia, inscio, vel invito patre, viro tamen digno nupsit. — 6. Limitatur tamen conclusio in casu, quo filia ante annum vigesimum quintum in scio, et invito patre nupsit indigno moribus, aut genere. — 7. Indignus censetur conjux ille, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. — 8. Limitatur insuper conclusio in omnibus illis casibus, quibus pater filiam exheredare possit. — 9. Si pater dotare nequit filiam, tenetur eam dotare avus paternus. — 10. Et quidem ante matrem. — 11. In defectu patris, et avi paterni, et accedente magna et probabili causa tenetur mater ipsa dotare filiam. — 12. In defectu omnium dictorum ascendentium tenetur frater dotare inopem Sororem ex patre. — 13. Dotem dare tenentur omnes, qui illam serio promiserunt, cujuscumque sint sexus, aut conditionis. — 14. Deflorator, qui absque promissione Matrimonii virginem per vim, fraudem, vel metu injuste incussum violavit, tenetur illam dotare, aut ducere in uxorem. — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Deflorator tenetur dotare puellam a se inique defloratam, quamvis sit paratus eam ducere in uxorem, si pater ipsius, aut ipsa seducta recuset Matrimonium cum ipso defloratore. — 17. Talis deflorator tenetur dotare puellam sic defloratam, etiamsi ipsa jam habeat dotem competentem. — 18. Et hoc pro foro externo. Pro foro autem interno sufficit supra dotem quam alias a patre, vel aliunde, haberet, addere quantum necessarium est, ut possit nubere viro æquali, perinde ac si deflorata non fuisset. — 19. Talis deflorator tenetur in foro externo dotare defloratam, etiamsi deflorata præter amissionem virginittatis penitus nullum damnum passa fuisset. — 20. Pro foro autem interno si deflorata nullum damnum passa sit præter amissionem virginittatis, non tenetur eam dotare ante Judicis sententiam. — 21. Deflorator, qui vi, metu injuste incussum, fraude, seu dolo absque promissione Matri-

monii seducit, et cognoscit puellam ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo et publice virgo habebatur, tenetur in utroque foro illam saltem dotare arbitrio prudentis viri, si inde infamia sit secuta, ita ut non possit tam commode alteri nubere, sicut antea. — 22. Secus autem est de eo, qui vi, metu injuste incussum, fraude, seu dolo carnaliter cognoscit puellam jam corruptam, et ut talem jam publice habitam. — 23. Clericus in sacris constitutus, seu maritatus, qui fingens se laicum solum sub ficta promissione Matrimonii, obtinet a femina copulam, tenetur ipsam dotare in tantum, in quantum requiritur, et sufficit ad reparandum damnum, quod inde passa est decepta. — 24. Si vero puella damnum nullum ex inde patitur, ad nihil tenetur talis Clericus, seu maritatus in foro interno ante sententiam Judicis. — 25. Si tamen deflorator, sive sit Clericus, sive uxoratus, sive solutus crimen alias occultum postmodum propalet, indeque damnum puellæ defloratæ causet, tenetur illud ad æqualitatem etiam in foro interno, et ante omnem sententiam Judicis resarcire. — 26. Quinimmo etiamsi virgo libere consenserit in stuprum, sine vi, vel metu injuste incussum, fraude aut dolo, si tamen stuprator, seu deflorator crimen occultum postea propalaverit, eamque infamaverit, tenetur ad reparandum ejus honorem, et damnum infamix injuste ei illatum resarciendum. — 27. Quantitas dotis danda a defloratore puellæ per vim, dolum, fraudem, aut metu injuste incussum defloratæ taxanda est in foro externo juxta quantitatem dotis, quam ipsa puella, si deflorata non fuisset, potuisset habere a parentibus vel aliunde secundum qualitatem suam, et mariti, quem non violata potuisset acquirere. — 28. Ordinarie loquendo, plus restitui debet a defloratore puellæ nobili, vel specialibus naturæ donis ornata, quam ignobili, aut deformi. — 29. Cæteris paribus deflorator dives non tenetur plus dare defloratæ, quam deflorator pauper. — 30. Deflorator pauper non tenetur semper dare tantam dotem, quantum alias puella posset habere secundum suam qualitatem et opulentiam suorum parentum, sed tantam solummodo quantum, salvo adhuc statu, et conditione sua dare potest. — 31. Deflorator tamen pauper, qui quantum tenetur non habet, debet tantum restituere, quantum interim salvo statu et conditione sua potest cum obligatione supplendi reliquum, si ad pinguiorem fortunam venerit. — 32. In foro interno dos puellæ per vim, fraudem, dolum defloratæ restituenda non regulatur, et mensuratur juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt, sed mensuranda est præcise juxta damnum, quod injuste deflorata inde patitur. — 33. In foro interno, seu conscientix tenetur iniquus deflorator Dotem restituere juxta quantitatem damni, etiam in casu, quo Judex non bene informatus in foro externo ad minorem Dotem per sententiam ipsum obligaverit. — 34. Etiam in foro interno, seu conscientix ordinarie prius Dos ab iniquo defloratore restitui debet puellæ nobili, aut specialibus naturæ dotibus ornata, quam ignobili et deformi. — 35. Deflorator non tenetur dotare, nec ducere puellam, quæ libere sine vi, fraude, vel metu injuste incussum consensit in stuprum, se sponte ad id offerendo. — 36. Immo neque hoc casu in foro externo cogi potest talis deflorator ad ipsam dotandam, seu ducendam, etc. — 37. Deflorator neque tenetur in foro interno dotare seu ducere puellam, etiamsi illam suasionibus, vel blanditiis, seu precibus importunis, aut muneribus ipsam induxerit ad consensum in stuprum, dummodo sine ulla vi, fraude, vel iniuria id fecerit. — 38. In foro tamen externo talis deflorator tenetur dotare, vel ducere puellam importunis precibus, et muneribus defloratam. — 39. An teneatur Pater dotem dare filiæ nuptæ sine ejus consensu. — 40. An teneatur, si filiæ culpa dos constituta et soluta primo Matrimonio perit. — 41. Nota in Auctorem.

— 42. 53. Quæ circa defloratores, et defloratas puellas Clemens XII pro Urbe sancivit.

ARTICULUS III. — *Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem, soluto Matrimonio, et facultatem eam repetendi, constante Matrimonio.*

1. Solutio matrimonii per mortem naturalem mariti, dos adventitia est in integrum restituenda uxori. — 2. Dos profectitia tamen redit una cum uxore dotata ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis. — 3. Si autem uxor jam est emancipata, Dos est restituenda uxori. — 4. Solutio matrimonii per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, Dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata. — 5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmortua ipsa filia, Dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filix ab intestato. — 6. Dos adventitia, mortua uxore, de Jure communi non transit ad maritum, sed ad ipsius uxoris hæredes ab intestato. — 7. Sic etiam Dos a stupratore constituta puellæ stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed ad hæredes ipsius stupratæ. — 8. Eadem ratione Dos constituta per raptorem filiæ raptæ, mortua ipsa rapta, non revertitur ad raptorem, sed ad hæredes ipsius raptæ. — 9. Item Dos constituta a viro sene et ignobili puellæ juveni, non revertitur ad ipsum donantem, sed ad hæredes ipsius feminx. — 10. Solutio Matrimonii quoad vinculum, viventibus adhuc contrahentibus, v. g. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraxerunt, Dos integra restituenda est uxori putativæ. — 11. Dos contrahentium scienter cum impedimento dirimente, nisi minor ætas excuset, acquiritur Fisco. — 12. Si Matrimonium ex licita causa separatur, quia v. g. maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota Dos est restituenda uxori. — 13. Si vero Matrimonium separatur quoad torum per Ecclesiæ judicium ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio fiat ex culpa mariti, Dos est restituenda uxori. Si autem fiat ex culpa uxoris, ipsa perdit dotem, eaque accrescit marito. — 14. Dissolutio Matrimonii non tantum integra Dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum lucrorum quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus, simul ac utriusque intuitu obvenerunt, debet a marito restitui uxori, seu ejus hæredibus. — 15. Illa autem bona, et lucra quæ constante Matrimonio uni soli conjugi, et intuitu illius solius obvenerunt, non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent illi soli conjugi, intuitu cujus obvenerunt. — 16. Sic illa lucra, quæ solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc. constante Matrimonio, acquisita sunt, soli viro, et ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis debetur uxori, aut ejus hæredibus. — 17. Constante Matrimonio, si maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assecurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere Dotem suam. — 18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur uxor arbitrate Judice acceptare. — 19. Si absque culpa maritus vergit ad inopiam, nequit cogi ad restituendam Dotem. — 20. Potest tamen uxor, incipiente marito vergere ad decoctionem, agere hypothecaria contra tertium creditorem; Nec creditor potest opponere jus offerendi ad impediendam ipsam uxorem. — 21. In hoc casu si bona, quæ uxor detinere intendit contra tertium creditorem, essent excedentia Dotem, et divisibilia, posset tantum detinere, quantum sufficeret ad Dotem, reliquum vero teneretur dimittere. — 22. Si vero bona illa essent indivisibilia, posset illa constante Matrimonio detinere, sed excessum fructuum teneretur restituere. — 23. Potest insuper uxor, constante Matrimonio,